

L. N. J. C.

DISSERTATIO ACADEMICA,
OSTENSURA:

AU R O R A M
LUCIS EVANGELICÆ
ANTE
SÆCULUM XII
IN
FINLANDIA
FUISSE EXORTAM,

QUAM

Sufragante Amplissimo SENATU Philosophico in Regia
ad Auram Academia,

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE
BILMARK,

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.

Publicæ censuræ modeste offert

ELIAS ALCENIUS,

SATACUNDENSIS.

In Audit. Maj. d. XXVII. Junii Anni MDCCCLXVI.

H. A. M. C.

ABOÆ impressit JOH. CHRIST. FRENCKELL.

P. Coll. Chytray

S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
REVERENDISSIMO PATRI ac DOMINO,
**D:NO CAROLO
FRIDERICO
MENNANDER,**
S. S. Theologiae DOCTORI Celeberrimo, Inclitæ
Diœcœsos Aboënsis EPISCOPO Consummatissimo,
Reg. ibid. Acad. PRO-CANCELLARIO Eminentissimo,
Venerandi Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI
Gravissimo, Scholarum per Diœcesin EPHORO
Adecuratissimo, nec non Regiæ Academiæ
Scientiarum Svecanæ MEMBRO
Dignissimo,
MÆCENATI MAXIMO.

Nulla sere eſt cogitatio, quæ ingemnum feciſ ad eſ-
delectat & paſcit, quam conſideratio Providentie
Divine in propaganda per universum Orbem Religionis
Chr̄ſtiana. Quamobrem cum ipse vetuſta n. cumenta
per-

*perlustrans animadverterem vestigia quedam almae hu-
jus Religionis in nostris oris ante magnam illam con-
versionem a S. HENRICO suscep tam, hæc collegi,
collectis argumentis præsente Dissertatione utcumque o-
stensurus, auroram lucis Evangelicæ ante sœculum XII
in Finlandia fuisse exortam. Tenues has meditationes
TIBI, Reverendissime EPISCOPE & PRO-CANCELLARIE,
inter gravissimas & excudentes, quibus premeris, curas
Comitiales offerre debui, supplex rogitans, velis pro eo,
quo emines, in litterarum cultores favore, symbolam hanc,
ad illustrationem rei apud nos Ecclesiastice pertinentem,
serena adspicere fronte. Qua spes si me non dejici patiaris,
mibi nihil prius nihil posterius erit, quam Supremum
Numen adsiduis fatigare precibus, velit TE, MÆCENAS
MAXIME, omnigena felicitate maciatum in Patriæ, Ec-
clesiæ, Litterarum & Familiæ Nobilissimæ fulcrum,
enolumentum & gaudium per longissimam amorum se-
riem conservare. Ad cineres usque permanebo*

Reverendissimi NOMINIS TUI

Cliens devotissimus
ELIAS ALCENIUS.

VIRO Admodum Reverendo atque Praeclarissimo,
D:no JOHANNI ROTHOVIO,
PASTORI & PRÆPOSITO Ecclesiarum, quæ in Ika-
lis, Canganpā & Storā florent, longe meritissimo,
PATRONO omni venerationis cultu ad ci-
neres usque prosequendo.

VIRO Admodum Reverendo atque Praeclarissimo,
D:no Mag. PETRO HEDMAN,
Ecclesiæ Wasensis PASTORI meritissimo, FAUTO-
RI omni reverentia suspiciendo.

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo,
D:no DANIELI ROOS,
SACELLANO Ecclesiæ Lappfierdensis vigilantissimo,
FAUTORI sincero adfæctu semper prosequendo.

Tot tantaque, FAUTORES Optimi, benevolentiae singula-
quo primum mihi contigit VOBIS innotescere, con-
lebrare queam. In pignus tamen mentis venerabundæ
va elaboratas, VOBIS offerre & volui & debui. Suscipia-
STRUM desiderare in posterum patiamini. Ego vicis-
pro VESTRA VESTRORUMQUE perenni incolumitate cali-

NOMINUM

CONFESSOR
ELIAS

Cultor
ELIAS

VIRO Admodum Reverendo atque Praeclarissimo,
Dn. Mag. JACOBO ESTLANDER,
Ecclesiarum, quæ Deo colliguntur Christinæ, Lapp-
fieri & Storå PASTORI dignissimo, FAUTO.
RI quovis honoris cultu ad urnam us-
que colendo.

VIRO Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,
Dn. Mag. JOH. WESTZYNTHIO,
CON-RECTORI Scholæ Trivialis Wasensis laudatis-
simo, FAUTORI exoptatissimo.

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo,
D:no ELIAE FONSELIO,
SACELLANO in Ikalis vigilantissimo,
AVUNCULO optimo.

ris documenta in me ab illo usque temporis momento,
ferre voluisti, quot quantaque nec enumerare, nedium ce-
basce primitias meas Academicas, rudi admodum Miner-
tis easdem sereno, ut soletis, vultu, nec me favorem VE-
sim nunquam intermittam, Moderatorem omnium rerum
diffinis compellare suspirius. Permansurus

VESTRORUM

humillimus
ALCENIUS.

I Råd- och Handelsmannen i Sjö-staden Christina,
Wålareborne och Högvålaftad
Herr MATTHIAS BRUNCK,

Samt
Handelsmannen i Stavel-staden Biörneborg,
Wålareborne och Högvålaftad
Herr ISAAC BÆCKMAN,
Gunstige Gynnare.

Med särdeles nöje ser jag den dagen upgå, på hvilken jag
off-inteligen får å daga lägga den högakting, jag stådse
hyst för Eder. I, mine Gynnare, hafven bewist mig flera
wälgiärningar, än jag dem någonsin kan rätt astjena. Eil et
ringa wedermåle af tacksamt sinne, upoffras Eder nu detta mitt
första Academiska arbete, hvaruti jag fökt bewisa, at våra För-
fädre någorlunda hade sig bekant den Christna Religion förr s.
HENRICS ankomst til Finland. Uptagen detta lilla pappers-
fram, såsom en af Eder godhet flytande frukt. Jag skal dero-
mot aldrig underläta, at anropa den högste Guden för Eder be-
ständiga wålgång, Framhårdande

Mine Gynnares

Ödmjukle tjenare
ELIAS ALCENIUS.

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo,
D:no GABRIELI ALCENIO,
SACELLANO in Storå vigilantissimo,
PARENTI INDULGENTISSIMO.

Lætus equidem ego ac lubens istum diem celebro,
quo pietatem meam erga Te PAREN^S Indulgentissime, publice declarandi mihi præbetur occasio, dum
scilicet Dissertationem hanc, ostensuram, Auroram
lucis Evangelicæ ante sæculum XII in Finlandia ex-
ortam fuisse, impensis Tuis publici juris facio. Merito
itaque TIBI, PAREN^S Indulgentissime, hunc juvenilem
ingenii mei fœtum tribuo, meliore munere substitutus,
ob plurima illa, quibus me quotidie maectas, beneficia.
Permittas etiam, PAREN^S Indulgentissime, hasce primi-
tias meas Academicas esse interpres obsequii & ve-
nerabundi, quo Te prosequor animi. Meum vicissim
erit, Deum T. O. M. ardentissimis fatigare precibus,
velit canam TUAM sententiam omni felicitatis & pro-
speritatis genere cumulare, in Ecclesiæ, cuius curam
magna integritate & Sacerdotali zelo jam per XXVI
annos gessisti, emolumentum maximum, Nostrorum
que omnium solatium & gaudium firmissimum; tan-
demque ex hac fragili vita discensus in cohortem
beatorum transferre. Permansurus usque ad extre-
num vitæ halitum

PARENTIS INDULGENTISSIMI

Obedientissimus filius
ELIAS ALCENIUS.

VIRO Plurimum Reverendo atque Praclarissimo,
D:no Mag. GABRIELI ALCENIO,
SACELLANO in Ilmola vigilantissimo.

VIRO Perquam Reverendo atque Doctissimo,
D:no JOHANNI ALCENIO,
Verbi Divini MINISTRO in Storà adsiduo.

FRATRIBUS MEIS CARISSIMIS.

In pignus Fraternæ caritatis nec non grati animi
ob beneficia VESTRA, *Fratres Carissimi*, in me colla-
ta, primitias meas Academicas VOBIS offero, pro
incolumitate VESTRA diuturna adsiduas preces fu-
furis

FRATRUM CARISSIMORUM

Amantissimus Frater
ELIAS ALCENIUS.

I. N. J. C.

§. I.



nter maxima Summi Numinis in genus humanum beneficia merito referimus, quod non solum Religionis Naturalis præcepta cordibus nostris alte impresserit, verum cum hæc post lapsum nequaquam sufficientia essent æternæ, quam nobis destinaverat, felicitati obtinendæ, hunc defectum immediata voluntatis suæ revelatione opportune suppleverit. Hæc cum maxime necessaria esset, Deus quoque clementer promisit, omnes gentes ad illius cognitionem per venturas. Vaticinia Divina, quæ promissionem de generali hac Evangelii annunciatione continent, cum plures dum collegerint, quos inter præcipue nominandi sunt EUSEBIUS (*a*), HUETIUS (*b*), WITSIUS (*c*)

A.

& J.

(*a*) Vid. *Demonstratio Evangelica Libr. II.* (*b*) *De monstr. Evangel. Proposit. IX. Cap. 150. seq.* (*c*) *Confr. Miscellan. Sacror. Tom. II. p. m. 402. seq.*

& J. A. FABRICIUS (*d*), nos quædam tantum in medium jam proferemus. Sic *Malach. I. 11.* *Ab ortu solis usque ad occasum magnum erit nomen meum in gentibus & in omni loco sacrificabitur & offeretur nomini meo oblatio munda*, quia *nominum erit nomen meum in gentibus*, dicit Dominus exercituum. Similiter *Rom. X. 18 ex Psalm. XIX. 5.* Μενῦγε ἐις πάσους τὸν γῆν εἰχάδιον ὁ Φθόγγος αὐτῶν, καὶ ἐις τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ πίματα αὐτῶν (*e*). Quid? Quod SALVATOR noster præceperit discipulis suis, quibus mysteria salutis concedidit, ut omnibus annunciascent verbum suum: Πορευθεντες ἐις τὸν κόσμον ἀπαντεῖτε, υπεύχεσθε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτιστῇ, *Marc. XVI. 15.* Enimvero circa prædicationem Evangelii non eadem ratione se gessit admiranda Dei Providentia, sed in nonnullis terris creperam solum auroram exoriri fecit, quam tamen plenior lux, id quod vitio & pertinaciæ hominum erit tribuendum, non fuit infecuta; aliæ vero uberiorem gratiæ Divinæ modum vel citius vel tardius sunt expertæ. Et quum multi sint, qui existiment populos Septemtrionates diu admodum cimmeriis tenebris involutos & a Religionis Evangelicæ luce fuisse remotos, Fennosque præfertim nullam hujus notitiam ante adventum S. HENRICI habuisse; operæ pretium nos facturos existimavimus, si ex antiquis-

(*d*) Videatur liber, qui inscribitur *Lux Evangelii toti orbi exoriens Cap. I.* (*e*) AMBROSIUS igitur ad h. l. ubique audita est & pervenit in omnem locum prædicatio Christi; ubi enim praesentia hominis prædicantis desuit, sonus etiam & fama pervenit.

tiquissimis Scriptoribus ostendamus, auroram lucis Evangelicæ ante saeculum XII majoribus nostris fuisse exortam. Cui operi dum modeste immoratur, Tuam Candide Lector benignam censuram, qua par est, observantia nobis expetimus:

Nam pius est Patriæ facta referre labor.

§. II.

Oraculis, quæ attulimus, generalibus addere licet speciale, quod populos boreales imprimis concernit. Gratiæ omnino plenum est promissum Prophetæ ZACHARIE Cap. VI. 8. datum, quod *Spiritus Domini in Septentrionalibus terris copiose quiesceret*. Hoc autem longe ante Sæc. XII quodammodo fuisse impletum, testimonia Patrum Ecclesiæ satis innuere videntur. Luculenta sunt verba TERTULIANI, qui Sæc. II. vixit: *Christo autem subdita sunt loca & Sarmatarum & Dacorum & Germanorum & Scytharum & abditarum multarum gentium & provinciarum & insularum multarum nobis ignitarum & quæ enumerare minus possumus (a).* Quod per Scythiam intelligatur Finlandia nostra, eo minus erit dubitandum, siquidem lacus nostri tempore ADAMI BREMENSIS adhuc dicerentur *Paludes Scythicæ (b)*. Similiter LACTANTIUS, cuius ætas in Sæc. IV incidit: *Lex Divina sive Evangelii lux ab ortu solis usque*

(a) In libr. adversus Judæos Cap. VII. (b) In libr. de Situ Region. Septentrional. p. m. 143.

que ad occasum suscepta est, & omnis sexus, omnis ætas & gens & regio unitis & paribus animis Deo servit (c). Atque HIERONYMUS jam suo ævo profitetur: Non puto, aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret (d). Quæ doctorum Virorum testimonia si quis eo usque extenderet, ut crederet, lucem Evangelii plene collustrasse totum orbem, næ ille invita fide Historica aliquid adsereret. Magnificis enim his verbis id solum indigitasse nobis videntur Patres, quod gentes omnes aliqualem Christianæ Religionis notitiam habuerint. Sed quum hæc nimis longe petita forte judicari queant, propiora intueamur. Notum igitur est, quod Gothi, in Thracia habitantes, ad Christianam fidem per AUDÆUM, THEOPHILUM, NICETAM & impri- mis per Episcopum ULPHILAM, cūjus in propaganda religione Christiana ardorem multis commendat SO- CRATES (e), fuerint perduci. Quod opus alia adhuc ratione promovit Provida Numinis cura. Scilicet turbulentis temporibus DIOCLETIANI, duo- rum MAXIMIANORUM, HERCULII & GALERII multi Christianorum, ut diras persecutions ab illis suscitatas subterfugerent, ad Gothos se contulerunt & Christianam religionem apud illos invenerunt, sicut docet JOHANNES a WERBURG (f). Indicant præterea annales nostri, quod Scandiani, adsum-

(c) Vid. Libr. V. Cap. 3. (d) In Matth. Cap. XXIV.

(e) In Histor. Ecclesiast. Libr. IV. Cap. 27. (f) Confr. Histor. Werburgica Tom. II. p. 671.

sumtis in societatem ULMERUGIIS, Finlandiæ ac-
colis, primis his sœculis ex Septemtrione varias ex-
peditiones in Thraciam aliasque finitimas terras
suscepserint (g). Quamobrem verisimile admodum
est, quod ad cognitionem lucis Evangelicæ tunc
pervenerint Fenni, & quod domum reversi, sacra
hæc civibus suis annunciarerint. Non equidem ne-
gamus, quin Gothorum Meridionalium quidam A-
riana hæresi tum fuerint infecti, sed quod non o-
mnes eadem laboraverint, vel inde constat, quod
in versione Bibliorum Ulphilana multa oracula pla-
ne integra occurrant, quæ figmentis Arianorum
sunt e diametro contraria, & quæ proinde Græci
subinde ex suis Bibliis vel exponixerunt, vel corru-
perunt. Meminerint denique Lectores, quod de in-
dole religionis Christianæ, quam habuerunt Majo-
res nostri, non differamus, sed nobis sufficiat ostendisse,
quod Christiana Sacra penitus non ignora-
verint.

§. III.

Verum non opus est, ut circa antiquissima hæc
& obscura tempora diutius hæreamus, præstat enim
ea considerare, quæ Sæculo XII sunt propiora; pau-
cis in antecessum significaturi, qualis Religionis
Christianæ fuerit facies in illis terris, quæ Finlandiæ
nostræ adjacent. Quo quidem modo Svetjia con-
siderationem nostram statim subit. Postquam igi-

(g) Vid. DALINI Hist. Patr. Tom. I. Cap. X. §. 3. p. m. 283.

tur examina Gothorum sæculis præsertim VIII & IX per partes Europæ Meridionales & Occidentales crebras suscepissent expeditiones, sacraque Christiana hic vidissent, eisdem animum sensim applicerunt. Qiamobrem etiam in *Concilio Aquisgranensi* Anno 817, præsentibus pluri bus Episcopis, de Svecis & Gothis ad Christum convertendis serio fuit deliberatum, & EBBONI, Remorum Episcopo, id negotii datum, ut huic operi sedulo invigilaret (a). Interjecto tempore Imperator Romanorum LUDOVICUS PIUS in Svetiam misit præstantissimos quosdam viros, ANSGARIUM, GAUTBERTUM, NITHARDUM atque ARDGEIRUM, qui Sacra Christiana populis Septemtrionalibus annunciant (b). Non equidem negamus, quin hi ipsi multas magnas que experti sint molestias in superanda atque eliminanda hydra illa Lernæa, multorum capitum bestia, religione paganica; attamen sensim sensimque favente ac tantum opus promovente Divina Providentia, nec non impigro studio primorum Evangelii in Svetia præconum factum est, ut Doctrina Christiana stabilem ibi invenerit sedem. Primus Regum Sveciorum, cuius auspiciis hæc sacra fuerunt annunciatæ, dicitur BERO vel BJÖRNO, ab Hunga plerumque cognominatus (c), circa An. Chr. 829. Hoc

(a) Vid. ÖRNHJELMI *Hist. Ecclæ. Libr. I. Cap. IV.*, nec non RIMBERTI *Vit. Anselm. Cap. XII. p. 50.* (b) Cfr. ÖRNHJELMI *H. E. Libr. I. Cap. X.* (c) Quidam vocant illum simpliciter BJÖRNONEM, plerique BJÖRNONEM

Hoc etiam & sequenti saeculo tacitis incrementis sensim invaluit Religio modo memorata, & contra paganicam prævaluit, quamvis ArchiEpiscopi Hamburgenses, quorum ut increverat dominandi pruritus, ita deferuerat Religionis propagandæ zelus, illam parum curarent. At postquam Svecorum Rex OLAVUS SKOTTKONUNG hæc Sacra libere professus, lavacro S. Baptismi se initiandum curavit, atque Doctores Evangelii impigros cum ex aliis Europæ partibus tum præcipue ex Norvegia (*d*) acceperat Svethia, pauci fuerunt, qui pagnicis adhæserunt superstitionibus.

§. IV.

Mittimus nunc Svethiam atque in Finlandiam transfretamus. Non equidem dissimulandum, quod qua-

ab Hauga ex prædio quodam exiguo prope Upsaliam, quod Hauga noncupatur, ubi sedem habuisse perhibetur. Verum cum in Svethia fuerit insolens, Principes a prædiis suis cognominari, atque incertum sit, utrum BJÖRNO noster unquam habitaverit in Hauga, rectius forte dicitur BJÖRNO HAUGA, BJÖRNO excelsus. Certe cum tantum effecisset, ut euilibet civium liceret, Sacra Christiana amplecti, Vid. DALINI lib. cit. p. m. 496. atque erga Evangelii prædicatores benigne se gessisset; verisimile est, quod Monachi eximio hoc cognomine illum insigniverint. Quibus addimus, quod nonnulli eum vocent *Bii* a Goth. Rāid potente; pro quo tamen WORMIUS legendum esse *Helig, Sanctum* existimat. Vid. Ap. litter. Runic. p. 225. (*d*) Vid. DALINI libr. cit. p. m. 591, 592.

qualis rerum facies in nostris terris saeculis VIII. IX.
 X. fuerit, non satis liquido constet, verum tamen
 est, quod patria nostra, imperio Syo-Gothico iam
 ab antiquissimis temporibus innexa, eadem fere sub-
 ierit fata, & quod Majores nostri non solum in so-
 cietatem expeditionum Gothicarum venerint, sed
 etiam frequentia cum Svecis exercuerint commer-
 cia. Cumque primi per Septemtrionem Evangelii
 praecones magno flagraverint studio, Christiana Sa-
 cra propagandi, verisimile est, quod ut in alias pro-
 vincias, ita etiam in Finlandiam quosdam miserint,
 qui Fennos horum cognitione imbuerent. Memo-
 ria imprimis dignum est, quod ArchiEpiscopis Ham-
 burgensibus injunxerint Pontifices Romani, ut do-
 cernam Christianam per orientales etiam has ter-
 ras propagarent. Quorsum praeципue pertinet Di-
 ploma ANSGARIO An. Chr. 835 datum, quo Archi-
 Episcopus Hamburgensis atque Legatus Pontificius
 per regna Septemtrionalia fuit constitutus. Cui mu-
 neri ut eo major conciliaretur auctoritas a GRE-
 GORIO IV Romæ ante corpus & confessionem S. PE-
 TRI Apostoli accepit pallium, confirmatusque una
 cum successuris ArchiEpiscopis Hamburgensibus Le-
 gatus Apostolicus per Sveciam, Daniam, Norvegiam,
 Farriam, Grönlandiam, Helsinglandiam, Islandiam,
 Skrid-Findiam (a) Transalbijam & nationes omnes

Septem-

(a) Per Skridfinniam intelligendam esse partem Finlan-
 diae, & nomen ipsum & plures Historici pridem ostende-
 runt.

Septemtrionales & Orientales (*b*), quibuscumque veniant nominibus (*c*). Tum ne quis auderet, his omnibus quoquo modo obstrepere, ipse Papa diris persecutionibus territos voluit obstrigillantes quoslibet, ut mos est Tarpejo Jovi in obductantes omnes, quos Titanas reputat, sua torquere fulmina (*d*). Et licet nulli Sacerdotes tunc temporis hoc missi fuerint, siquidem in hoc ævum præcipue quadret: ὁ μὲν Θεοτόκος πολὺς, οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι, ut loquitur Pastorum Princeps (*e*); probabile tamen valde est, quod plures Majorum nostrorum, qui ad Svetiam quotannis proficisciabantur, Sacris Christianis se initiari passi fuerint, atque horum deinceps participes, sed sine armorum strepitu, reliquos fecerint populares. Immo sicut delubra idolis consecrata per Finlandiam admodum rara fuerunt; ita quoque in avitis superstitionibus retinendis ac defendendis minus tenaces fuisse videntur ejusdem incolæ.

§. V.

Sicut Reges nostri pari amoris affectu singularem regionum suarum cives sunt amplexi, ita quum
B præ-

(*b*) Fennia & Holmgardia communi nomine olim dicebantur Osterlandia Lat. *Terra orientalis*, vid. SPEGELS *Bevis til Kyrkjo-bistorien* p. 3. & 5. Immo Alandi nostri Finlandiam etiamnum vocant Osterlandiam. (*c*) Confr. *Diplom. LUDOVICI PII Imp. & GREGORII IV. P. R.* apud ADAMUM *Bremens. Hist. Eccles.* p. m. 179. seq. 185. seq. (*d*) ÖRNHJELMI *lib. tit.* p. m. 22. (*e*) MATTH. IX: 37.

præstantiam Religionis Christianæ satis animadver-
terent, qui BJÖRNONI in imperium successerunt,
verisimile est, quod veteres Fennos hujus quoq; cogni-
tione imbuendos curaverint. De ERICO EMUND-
SONIO testatur THORGNYRUS, Legifer Uplandiae,
quod in viridi ætate multas expeditiones tam in a-
lias terras, quam in Finlandiam nostram suscep-
rit, variaque castella & propugnacula in sui me-
moriā hic reliquerit (a). Et quoniam Christiani
non pauci castra ejus sequerentur, vix erit dubi-
tandum, quin hi tam de ferocibus subigendis, quam
de Sacris suis propagandis fuerint solliciti. Docent
præterea annales, quod Curlandi, Chori tunc appel-
lati, qui tributa Svecis diu solverant, hoc tempore
nova moliri cœperint. Quos ut ad officium redu-
ceret OLAVUS, Pro-Rex Svetiæ, collectis copiis
& comparata clausæ ad orientales has terras se con-
culit. Hic autem cum Sveci varia adeo premeren-
tur fortuna, ut ad incitas ferme essent redacti, hor-
tantibus mercatoribus (b) quibusdam, qui exerci-
tum comitabantur, milites Salvatoris nostri opem
serio implorarunt; quo facto, amplissimam reporta-
runt victoriam, Curlandis, fese dedendo, vota illo-
rum.

(a) Vid. STURLONIDIS *Heims Kringl.* Tom. I. p. 482.
 (b) Ita ipsi appellantur in RIMBERTI *vita Ansgari*
p. m. 110. ed. Oernhjelm. Man kan til en stor del tilskrifva
 Handelen den Christna Lärans tidiga utspridande i Norden,
 åtminstone at hon der i så lång tid var bekant, innan hon
 allmänt blev vedertagen, Cfr. DALINI *Hist. lib. cit. p. m. 254.*

rum prævenientibus. Et quam ita animadverterent,
 quid Christo devota pectora possent, se firmius ob-
 strinxerunt ad fidem Christianam colendam, sed ta-
 men pro captu eorum temporum (e). Horum ex-
 emplo incitati Curlandi, eadem sacra non sunt ad-
 spernati, a quibus iterum in Finlandiam nostram
 cognitio doctrinæ Christianæ pervenisse videtur.
 Postquam etiam ERICUS VICTORIOSUS POPPONIS o-
 ratione atque præclaris factis in religione Christiana
 fuerat confirmatus, novos cepit impetus propagan-
 di illam per aviti regni provincias, atque ex Da-
 nia, ubi tunc comimorabatur, in patriam misit quos
 habere potuit, LIBENTIO suppeditante, verbi Di-
 vini præcones, munere suo, ut perhibent annales,
 strenue defunctos (f). Et cum hic Rex multas res
 in Orientalibus his regionibus feliciter gesserit, fi-
 dem nobis facit, quod nec religionis Christianæ
 prædicationem in Finlandia neglexerit. Præterea
 de OLAVO SKOTTKONUNG constat, quod Sacris
 Christianis, quæ amplexus fuerat, impense faverit,
 & opera usus Episcopi THURGOTI tam liberos suos,
 quam plures civium eisdem & sacro baptisni lava-
 cro initiandos curaverit (e). Quare etiam Rex Chri-
 stianissimus salutatus fuit (f). Interjecto tempore hic
 filiam INGERDEM in matrimonium dedit JARISLA-

(e) Vid. RIMBERTI *libr. modo cit.* p. 112. 114. (d) Cfr.
 ÖRNHJELMI *Hist. Eccl. Sviog. lib. 2. Cap. 5.* (e) Vid. ER-
 BENZELII *Monumenta Eccl. p. 217.* (f) Vid. ADAMI
 BREM. *Hist. Eccl. libr. 2. Cap. 41.*

VO, Holmgardiæ Principi, quam in has oras, ipsa postulante, comitatus est RAGNWALDUS ULFSONIUS, qui de religione Christiana per WestroGothiam propaganda admodum fuit sollicitus (*g*). Quod studium sicut tranando per maria non deferbuerat, ita nulli dubitamus, quin postquam Jarlus Aldejoburgensis & Ingriæ fuerat constitutus, dicta sacra tam in nova patria, quam in vicina Finlandia propaganda curaverit. Quæ facta sunt circa initium Sæculi XI. Ulterius quum censum quendam, vocatum Denarium S. Petri, Papæ consecrasse dicitur OLAVUS (*h*); quem Fennos etiam soluisse *Paræcia Pedersörensis* in Ostrobotnia luculenter indicat, novo pignore constat, auroram lucis Evangelicæ in Finlandia tunc fuisse exortam. Quisquis etiam cogitaverit zelum AMUNDI, SKOTTKONUNGI filii, in religione Christiana tuenda, quo factum est, ut *Christianissimi Regis* nomen promeruerit, & quam prolixam observantiam mandatis Pontificiis præstiterit, non ambiget, quin in prædicationem Evangelii per Finlandiam curam sumtusque impenderit. Denique cum Holmgardi inde a primis Christianismi in Svetbia recepti temporibus templum quoddam S. NICOLAO dicatum Sigtunæ habuerint (*i*), eorumque nomine Fenni nostri non-nunquam comprehensi fuerint (*k*), verisimile est,
quod

(*g*) Confr. DALINI Hist. lib. cit. p. m. 615. (*h*) Vid. PUFENDORF, in Hist. Svec. p. 66. (*i*) Videatur Rep. WALLINI Sigtuna Stans & cadens p. 224 & 225. (*k*) Vid. NETTELBLADII Schwedische Bibliothec Part. I. p. m. 63.

quod nec Fenni nostri ab eodem fuerint exclusi, & proinde quod Svecis non multum recentiores fuerint in religione Christiana recipienda.

§. VI.

Nec hoc loco erit reticendum, quod eodem circiter tempore aliorum Scandinaviæ Principum opera magis magisque in Orientalibus nostris regionibus irradiare cœperit aurora lucis Evangelicæ. Quocirea imprimis a nobis est memorandus OLAVUS TRYGGWONIDES, qui sacris Christianis ab Episcopo POPPONE & deinde a TANGBRANDO institutus, veri Dei cultum admodum promovere incepit. Idem postquam aduersus Græcorum Imperatorum hostes multas res fortiter & feliciter gesserat, in Holmgardiam revertitur, presbyterum quendam, PAULUM dictum, secum dicens, cuius opera usus est tam ad confirmandum vacillantem adhuc in religionis negotio WALDEMARII animum, quam etiam ad reliquias cultus idololatrici extirpandas (*a*). Quare non solum Magni Moschoviæ Duces (*b*), prisciique eorum annales (*c*),

B 3

ve-

(*a*) Vid. STURLONIDIS *Heims Kringla Tom. I. p. 233.*
 Cui addatur ÖRNHJELMI *Histor. Ecclesi. p. m. 2. & 185.* (*b*)
 Digna omnino sunt verba Magni Moschoviæ Ducis BASILIDI'S, incunabula Christianismi ad ævum WALDEMARII referentis, quæ notentur: Baptizantur, inquit, nostri in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti nunc & in secula benedicti, postquam primus noster Progenitor, heatus ille & magnus Czar WLODIMIRUS. divinitos illustratus nomen BASILII ad mysticam undam est natus, a quo tempore us-

verum etiam alii passim Historici (d) fatentur, Christianam religionem in terras hæc orientales circa finem saeculi X fuisse introductam. Partim autem zelus OLAVI in religione Christiana propaganda, partim etiam crebræ ejus expeditiones in Finlandiam susceptæ nobis persuadent, quod ejus opera non pauci Fennorum ad cognitionem Religionis modo memoratæ tunc pervenerint. Quare etiam Auctor Anonymus Chronicus Finlandie, Finnos, quos illis temporibus eisdem cum Russis paruisse Dominis opinatur, jam ante expeditionem S. HENRICI magnam partem Christiana Sacra amplexos fuisse tradit, eosque solos, qui oram maritimam incolebant, a S. ERICO viatos & ad Christianam religionem perductos fuisse existimat. Quam opinionem ex variis Russicis picturis, quæ adhuc in quibusdam Finlandie templis, præsertim in Carelia supersunt, probari posse contendit (e). Hinc tamen non sequitur, quod antiquissimi majorum nostrorum Græcam religionem, qualis postmodum illa fuerit (f), receperint. Immo quamvis multo post Carelii in animum induisse videantur, proprium sibi Episcopum Wiburgi constituere, id quod ex conditionibus, quæ donatiōnibus

que ad hunc diem non Russica sed Christiana appellatur fides nostra. Vid. NIC. BERGII *Dissert. de statu Ecclesie & Religionis Moscoviticæ p. m. 50.* (c) Confr. *Stepennaja Kniga;* item Nestor PETZURSKI passim. (d) Vid. JOH. DLUGOSI *Histor. Polon.* libr. I. p. m. 150. nec non JOH. HERBINII opus de *Cryptis Kiovienibus Cap. 3.* p. m. 16. (e) Vid. NETTELBLADI *Schwedische Biblioth. Tom. I.* p. 63. (f) Vid. cit. BERGII *Dissert. Cap. V.*

nibus tam Equitis NICOLAI Tunesonii quam STENONIS Benedicti BJELKE sacer. XIV Episcopo Wexionensi concessis, adiectæ sunt, primus evictum dedit Rev. Episc. RHYZELIUS (*g*); non tamen inde sequitur, quod propter discrepantiam quandam vel religionis vel rituum Ecclesiasticorum hoc factum sit, sed tantum ut Sacra Christiana eo magis per Finlandiam promoverentur, pluribus in hanc curam intentis. Nec fas esset, hoc loco præterire OLAVUM S. Norvagiæ Regem, de quo constat, quod postquam a CANUTO MAGNO eslet regno expulsus, in Svethiam primum & deinde in Holmgardiam se contulerit. Diserte autem de ipso testatur STURLONIDES, quod *Divini Nominis cultum hic promoverit, quandoquidem ab opere hoc faciendo publica negotia, quibus antea vacare solitus fuerat, ipsum non impedirent* (*b*). Quin itaque eadem Christianismi cura ad vicinam Finlandiam se extenderit, nemo admodum dubitat.

§. VII.

Contra ea, quæ hactenus differuimus, dubia quedam forte moveri possent, quorum tamen præcipua huc redire videntur. Quod si Fenni nostri ante sæculum XII ad cognitionem religionis Evangelicæ pervenissent, minime opus fuisse censeatur, ut vel Pontifex Romanus ALEXANDER III. scriptis litteris Ducem Svecorum & ArchiEpiscopum Upsaliensem exhortaretur ad Fennos nostros convertendos, vel ut ERICUS Sanctus Svethiæ Rex vi & armis majores nostros

(*g*) Vid. *Ejusd. Episcoposeopia Tom. I. p. 300.* (*b*) Vid. *STURLONIDIS Tom. I. p. m. 733.*

stros ad Sacra Christiana recipienda cogeret. Immo Fenni nec acriter restitissent Regum & Episcoporum sacris moliminibus, sed pedo Pontificali se sponte subjecissent. Quod ad litteras Pontificis attinet, scriptas *Tuscul. V.* *Idus Septembris 1160* ita easdem orditur: ALEXANDER &c. &c. *Gravis admodum & difficilis est ad Apostolicam sedem querela perlata, quod Fenni semper imminentे sibi exercitu inimicorum, fidem servare Christianam promittunt & Prædicatores & Eruditores Christianæ legis desideranter requirunt, & recedente exercitu fidem abnegant &c. &c.* (a). Ex his autem liquido constare arbitramur, quod jam ante medium Sæculi XII Fenni aliqualem saltem Religionis Christianæ cognitionem habuerint, alioquin defectionem eorum a recepta fide ægre adeo ferre non potuerat Pontifex Romanus. 2:do Quod ad ERICUM S. attinet, duplici causa commotus fuit ad expeditionem in Finlandiam suscipiendam, scil. partim ut populos, qui litoribus nostris insederant atq; ex his crebras in Svetiam fecerant excursionses valide compesceret, partim ut instinctu S. HENRICI Finlandiae incolas, volentes nolentes tam argumentis, quam tormentis ad pleniorē Christi cognitionem deduceret (b). Quare hinc consci nequit, auroram lucis Evangelicæ ante illa tempora majoribus nostris non adfulsisse. 3:to Quod Fenni contra sacerdos hos conversores arma sumferint, nemo miretur, cum dubium esset, ad felicitatem ne, an vero ad illorum perniciem sacra hæc tenderet truculentia. Sed manum de tabula.

(a) Vid. *Collect. Vastovian.* edit. Coron. p. 161.

(b) Vid.

RHYZELII libr. & Tom. cit. p. 323, 324.